

passim peccatis involvitur; ut melius foret si natus non esset. 3. Et tandem, ut ait S. Augustinus, *Soliloq. cap. 5.* *nullum est peccatum quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo?* Ita ex se miser est, et totus quasi ulcus unde sanies fluit, nisi sanetur à gratiâ. Et hic irritabit illum, à quo solo è tantis malis vindicari potest!

## PUNCTUM III.

*Quàm sit exile bonum quod homo quisque habet.*

I. Primùm comparatione aliorum omnium hominum: plura enim in aliis sunt, quibus carent singuli. 2. Deinde quid sit præ omnibus hominibus et angelis. 3. Et tandem quid respectu Dei. Nam *Isa. 40. 17.* *omnes omninò gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputate sunt ei: et, tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Quid sunt stellæ in præsentia solis? Nec apparent quidem. Quid bona omnia creata in unum hominem congesta sive corporis, sive animi? Nihil: Nemo *Luc. 18. 19.* *bonus nisi solus Deus.* Et tantillus non veretur liberimè hunc offendere hunc irritare! Propterea *Job. 42. 6.* *agam pœnitentiam in favillâ et cinere.**

## MEDITATIO V.

*De Gravitate peccati ex Dei offensi excellentiâ.*

## PUNCTUM I.

*Perpendam divinas perfectiones, ex quibus potissimùm aggravatur peccatum.*

I. EST bonitas, ob quam Deus est dignus infinito amore, quali se ipse amat, et beati clarè eum videntes toto corde in eum feruntur; nec possunt non ita ferri, tanta est illius amabilitas. Et hunc ego flocci habui!

I.  
Bonitas.

II. Immensitas, quâ replet omnia, notitiaque infinita. Itaque in sinu quasi Dei existens, non tantùm in conspectu, non dubitavi ea patrare quæ serenissimi ejus oculi exsecrantur. *Habac. 1. 13.* *Oculi enim ejus mundi sunt, nec vident malum, nec respicere ad iniquitatem sine horrore possunt.*

I.  
Immensitas.

Habac. 1.  
13.

III. Omnipotentia, quâ rebus omnibus dat esse et operari; ut ipsæmet actiones malæ, quæ sunt aliquæ res, exerceri sine illo nequeant. Concurrit autem pro bonitate suâ, ut naturæ cursum teneat, et libertatem humanam servet. Igitur cooperatione divinâ ego abutor, et eam servire facio meæ cupiditati.

III.  
Omnipotentia.

## PUNCTUM II.

*Ex beneficiis acceptis à liberali Dei manu aggravatur peccatum.*

I. Ipse creavit, conservat et gubernat. *Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te? Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui?* En, quot verbis similibus inculcat, ut indignitatem offensæ apprehendam.

II. Redemit: et quonam modo, et quanti? Ipse Pater, Pastor, Medicus, Magister, et Salvator meus: et hunc, peccans, iterum crucifixi, et ostentui habui.

III. Sanctificavit. Huc spectant Sacramenta idcirco instituta, præsertim Baptismus, Eucharistia, Pœnitentia; necnon sancti Spiritus internæ inspirationes et auxilia, milleque media divinitus oblata; et ipse tandem sanctificationis finis, promissa resurrectio, et gloria. Quæ cum ita sint, quidni dicam majori jure quàm Joseph, quando pelliciebatur ad Gen. 39. 9. peccatum: *Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in Dominum meum?* Et illud Sathis ad Da-  
1 Reg. 24. 18. vid: *Justior tu es quàm sim; ego autem reddidi tibi mala.*

## PUNCTUM III.

*Propter quid offenderim Deum.*

Propter levissimam rem, sive voluptatem, sive lucrum, sive auram popularem; tales mihi deos fabricans, et Barrabam Christo præponens. *Obstupescite, Cæli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer! Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Pejus hoc, quàm quòd Esau progenita sua vendiderit pro lentis edulio; quæ ille recuperare amplius non potuit; at, quæ est bonitas et misericordia Dei, mihi licet, gratiâ ipsius.*

## PUNCTUM IV.

Stupor et exclamatio, quæ me tam ingratum terra sustinuerit; neque armaverit Deus creaturas ad ultionem inimici; quin servire eas mihi fecerit, solem, astra, elementa, plantas, animalia, et ipsos angelos!

## MEDITATIO VI.

*De gravitate peccati ex Pœnis*

## PUNCTUM I.

Ex pœnis temporalibus, quæ infligi à Deo solent, in bonis, tum externis, tum corporis, et in vitâ ipsâ.

Certè tria illa, fames, bellum, pestilentia, quorum data est optio Davidi, à peccatis venire solent.

## PUNCTUM II.

Peccatum  
parvū ma-  
jus.

Peccatum est malum tantò majus illis omnibus pœnis, ut simul omnes non sufficiant solvendo debito, pro uno peccato mortali.

I.

I. Ratio: Quia istæ pœnæ privant hominem bono aliquo creato et finito; culpa autem bono infinito. Et sicut Deus absolutè solus est bonus, ita illud absolutè est malum quod privat Deo: reliqua secundum quid mala. Quare benè Eleazarus olim respondit: *Præmitti se malle in infernum, quàm prævaricari legem Dei.*

2 Mach.  
cap. 6. 23.

II.

II. Ratio. Hinc fit etiam, quòd Deus cùm reliqua mala inferre valeat, (*nam non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit,*) culpæ tamen auctor esse non potest. Item, cùm Filius Dei ad omnia alia se demiserit mala, peccatum vel minimum non potuitmittere.

Amos. 3. 6.

III.

III. Ratio: Quòd mala cætera adhibentur à Deo in medicinam peccati; nemo autem sapiens medicus intulerit majus malum ad curandum minus. Certè Christus ideò tot illa et tanta perpressus est, ut medicinam faceret peccato.

## PUNCTUM III.

Majus  
æternū.

Ex comparatione æternæ pœnæ. Nam mala omnia præsentis vitæ nec computantur in partem sup-

plicii culpæ debiti, sed de integro punitur peccator in inferno, quamvis summa in hæc vitâ fuerit passus. Id autem justè fit: nam, cùm peccatum sit habendum infinitum à majestate infinitâ Dei offensi, debet quoque pœna esse infinita. Talis est inferni pœna, eò quòd privat Deo. *Sed quia hæc amantibus duntaxat pœna est, non contemnentibus,* ut ait Augustinus, ideò istis decreta est pœna sensûs inferni, præ quâ præsentibus videri umbra debent.

August.  
in Ps. 49.

## PUNCTUM IV.

Tandem, vel ipsæ inferni pœnæ simul omnes non æquant peccati malitiam; ut si optio detur, vel illas subeundi, vel peccatum admittendi, prius omninò præoptari debeat. Sed hæc collatio non est necessaria, quando dari nequit casus, ubi alterutrum sit necessariò eligendum.

Peccatum  
pejus in-  
ferno.

## DE NOVISSIMIS.

## MEDITATIO VII.

## De proprietatibus mortis.

## PUNCTUM PRIMUM.

I. Quòd sit certa et inevitabilis: et ita quidem ut Deus præfiniverit diem et horam, quæ præteriri non poterit. Proinde convenit ut omnem vitam ponam in servitio Dei, à quo per momenta pendet.

Mors  
certa.

2. Porrò Deus aliquandò vitam prorogat ultra naturales causas, vel ad preces, ut Ezechix, et iis qui suscitantur à mortuis; vel ob alia consilia suæ providentiæ. Aliquandò etiam minuit, vel ne malitia multiplicet intellectum; vel contrà, in pœnam: *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*; et pro expiando peccato in hac vitâ; ut ille propheta, qui, quòd cibum sumpsisset contra prohibitionem, ab alio circumventus, occubuit à leone.

## PUNCTUM II.

Mors incerta. 1. Quòd dies, locus et modus latent: hoc tamen homo scit, quòd veniet uti fur. Atque id ita ordinavit Deus, ut advigilarem semper, ut ipse monet Christus: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam*; et: *Estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*. Quam rem pluribus parabolis inculcavit, ut de decem virginibus. 2. Recolam igitur casus auditos, aut visos (et quotidie veniunt improvisi); et per eos admoneri me intelligam, cui perinde possint contingere. 3. Cogitabo etiam quovis mortali peccato me reddi dignum tali animadversione. Nam Christus de quibusdam ruinâ oppressis pronuntiavit: *Putatis quòd præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Quasi dicat: Non gravissima tantum peccata merentur talem animadversionem, sed quæcunque, nisi pœnitentiâ expientur. Et ausim vel horam in peccato permanere?

Vigilantia dom. Mat. 24. 42. 44.

Instat peccanti. Luc. 13. 2. 3.

Quis me securum reddit, cum Christum sciam comminari omnibus? Ergo, homo, *Miserere animæ tuæ* Eccli. 30. 24. placens Deo.

## PUNCTUM III.

1. Quòd semel tantummodò mori datur: *Statutum* Mors irreparabilis. *est hominibus semel mori*: proinde, si semel malè, caret remedio in omnem æternitatem: uti contrà, absque periculo jacturæ est mors semel obita in gratiâ Dei. *Ubi ceciderit lignum, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit*. 2. Hinc obstupescam, qui fiat ut homo ista pro certissimis habens ex fide divina, tam incurius vivat suæ salutis. 3. Deinde excitabo meipsum ad curam majorem, et fervorem, suppliciter orans, ne ad Aquilonem mihi cadere contingat. Discutiam quoque, quid hoc momento foret mecum, si mors obreperet.

Eccli. 11. 3. Heb. 9. 27.

## MEDITATIO VIII.

*Ea quæ angunt moribundum vel sunt præterita, vel præsentia, vel futura.*

## PUNCTUM I.

1. PRÆTERITA, in primis sunt peccata quæ tunc uno agmine obsidebunt animam, ac importunè se ingerent; ut impleatur illud: *Circumdede runt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me: dolores inferni circumdede runt me, præoccupaverunt me*

Memoria præteritorum. Ps. 17. 5.

*Ecclesi. 5.5. laquei mortis. Quare, de propitiato peccato noli esse sine melu. 2. Deinde occurret animo jactura facta temporis, in rebus inutilibus et vanis, pro quibus poteram multa mihi merita cumulare. 3. Neglectus etiam mediorum, quibus juvari potui, præsertim Sacramentorum. 4. Tunc proposita concipiam benè agendi, quando copia agendi non dabitur amplius: et illa fortè inutilia, quòd extorta necessitate, ac minimè sincera; ut quondam Antiochi regis, de quo Scriptura: Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 5. Itaque hora illa revelabit fraudes, quibus nunc circumvenimur à mundo et diabolo; et ostendet serò, vanitatem esse, quæ modò suscipimus. 6. Proinde discite nunc sapere, ut non defrauderis à die bono, et particula bonæ dièi non te prætereat, quominùs in bono semper proficiatis.*

## PUNCTUM II.

I. Præsentia quoque affligent, quando non describitur sine dolore quod cum amore possidetur. Sunt autem triplicia. 1. Bona externa. *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Et eò magis, si cum peccato fuerint acquisita, eos affligent in quos dicitur: *Panis ejus in utero ejus vertetur in fel; divitias, quas devoravit, evomet.* 2. Personæ conjunctæ et caræ, à quibus divellimur: *Sicine separat amara mors?* Vosne etiam relinquendi? 3. Corpus ipsum, diutinâ atque arctâ societate cum animâ conjunctum; et cum corpore, simul omnium

quibuscum corpore fruimur, æterna jactura facienda est.

II. Inquiram in me, an horum aliquid inordinatè diligam? et nunc potiùs istis moriar, quàm cum deserenda sunt.

III. Expendendum etiam quàm sit absurdum, ob ea quæ mox amittenda sunt, æternam vitam in discrimen vocare.

## PUNCTUM III.

Denique affliget timor futurorum. Ut cum quis jamjam expectat definitivam sententiam, in quâ agitur de opibus, honore, et vitâ; nec satis ei constat de eventu: hic etiam agitur de bonis et vitâ æternâ; et sententia erit irrevocabilis, et tam incerta, ut nec justus sciât, *utrùm amore vel odio dignus sit;* et quamvis nihil sibi conscius, non tamen in hoc justificatus sit. 2. Accedet tentator, calcaneo maximè insidians, illudque ingerens: *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* qui et aliis mille modis turbare phantasiam, et illudere homini potest, et solet. Nunc dispiciam quid tunc maximè terrere me possit, et occurram: et pro felici morte Crucifixum deprecabor.

## MEDITATIO IX.

De particulari Judicio statim à morte.

## PUNCTUM I.

I.  
Judicio  
assisten-  
tes.

I. QUÆ personæ interveniunt. 1. Anima judicanda, exuta corpore, et iis quæ corpus comitantur; perinde rustici, ac regis: et quæ animam sequuntur. Scientiæ nihil conferent: sola juvabunt bona opera. 2. Cingent latera angelus custos, et malus, diverso affectu, prout erit diversa conditio animæ. Nam bonæ applaudet bonus, malus mœrebit: è contrâ, si mala sit. 3. Assidebit iudex Deus, invisibilis quidem, sed certis signis suam præsentiam manifestans; infinitè sapiens, justus, potens, à quo non appellatur: et in oculis ponentur omnia, quando libri aperientur nostrarum actionum, ut non sit tergiversationi locus.

II.  
Timor.

II. Cogitabo me assistere, atque, ut salutarem timorem concipiam, videre iudicem ipsum irato vultu, et accusatorem diabolum gestientem; ac in me impletum illud: *Diabolus stet à dextris ejus: cum iudicatur, exeat condemnatus.* Contrâ verò, ut spem excitem, aspiciam benevolam iudicem et angelum custodem arridentem mihi, atque abigentem à me dæmonem, illis verbis: *Increpet in te Dominus, Satan! qui elegit hunc. Numquid non iste torris est erutus de igne?*

Zach. 3. 2.

## PUNCTUM II.

Tempus et locus iudicii hujus. 1. Tempus est momentum illud quo anima solvitur à corpore: in eo accusatio, sententia, et executio perficiuntur. O momentum, æternitatis principium, sive gloriæ, sive pœnæ! 2. Locus est ille ipse ubi homo moritur. 3. Quid si hoc momentum, quid si hic locus decernet? Uxor Lot, ubi se convertit retrò, ibi iudicium tulit.

Tempus  
et locus.Gen. 19.  
26.

## PUNCTUM III.

I. Ordo judicialis. Accusatores erunt tres: 1. Diabolus, qui per excellentiam dicitur *accusator fratrum*, accusabit de iis quæ ipsius instinctu peccavi; et cum interna nostra non perspiciat, affirmabit plura ex conjecturâ, vel etiam malitiâ. 2. Erit conscientia, mille testes: hic omnia patebunt, unde animam exstimulet, de quâ istud est: *Cum vadis cum adversario tuo ad principem, in viâ da operam liberari ab illo; ne fortè trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori, et hic mittat te in carcerem.* Adversarius est conscientia, à quâ in viâ liberatur qui in hac vitâ eluit peccata. 3. Quodammodò erit ipse angelus custos, cuius posthabui monita, et officiis ingratus fui.

I.  
Accusa-  
tores.  
Apo. 12.  
10.Luc. 12.  
58.

II. Examen erit, 1. accuratissimum, usque ad verbum otiosum; nec de commissis tantum, sed etiam de omissis, ac de mediis non adhibitis, de neglectis inspirationibus, de beneficiis posthabitis, tam com-

II.  
Examini  
conditio-  
nes.

- munibus quàm privatis, ac de ipsis circumstantiis bonorum operum : quòd pertinet illud : *Ego justitias judicabo.* 2. Fiet hoc examen in tantà luce, ut anima conspiciat omnia mala sua. Et gravitatem illorum æstimabit, et quæ pro peccatis non habuit, aut non advertit, vel oblita est, repræsentabuntur ei omnia ; sicut dicit Dominus : *In tempore illo scrutabor Jerusalem in lucernis ; abditos quosque angulos : nec Babylonem tantum, sed et Jerusalem ; justos ipsos.*
- Sophon. 1. 12.*
- Ps. 142. 2.* Heu ! non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 3. At vicissim Deus bona opera justorum etiam minuta, usque ad calicem aquæ frigidæ, producet et repræsentabit animæ, ad ipsius mirificam consolationem :
- Apoc. 14. 13.* Opera enim illorum sequuntur illos.

## PUNCTUM IV.

Privatur donis. Examine facto, anima primùm expoliabitur donis quæ residua erunt : ad eum modum, quo degradatur sacerdos, sacræque vestes detrahuntur, ad insignem ignominiam, tanquam indigno munere ac dignitate sacerdotali ; ut ita tradatur in manus judicis secularis, morte mulctandus. 2. Donum fidei ab eo aufertur, quòd non studuerit vitam agere fidei suæ conformem. 3. Deinde spei donum, quòd mediâ neglexerit, per quæ debuerat ad speratum bonum aspirare. 4. Præterea spoliabitur gratiis gratis datis, si quas habuit propter bonum aliorum ; quòd vel iis non usus benè sit ad finem, propter quem datæ erant ;

vel quòd aliis intendens, seipsam neglexerit ; quod est inordinatum. 5. Ipsæ etiam virtutes morales acquisitæ in eo deficient. 6. Scientiæ etiam erunt ad majorem cruciatum, quòd scientiam salutis postposuerit illis. 7. Unicus manebit character Baptismatis, et si quem alium accepit ; ut appareat, à quâ conditione exciderit, illudaturque illi ab Infidelibus, eo nomine, quòd, cum posuerit tanti ædificiū fundamentum, non valuerit consummare. Igitur in talem complebitur illud Ezechielis : *Denudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ, et dimittent te nudam, et ignominiam plenam.*

*Ezech. 23. 26.*

## PUNCTUM V.

Sententia Christi in peccatricem animam : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Quo ipso momento destituetur divinâ protectione, quâ etiam peccatores illuc usque prosequitur Deus ; et ab angelo custode deseretur, illud usurpante : *Curavimus Babylonem, et Jerem. 51. non est sanata : derelinquamus eam ; utique in manus sævissimi leonis, qui cum tripudio, è lectulo delicato, et coronâ amicorum, in puncto ad inferna deportabit. Quid tam subita et tam dispar conditio, rerumque omnium permutatio in infelici animâ efficiet ? O juste Judex ! Cum veneris judicare, noli me condemnare.*

*Sententia impi. Mart. 25. 41.*

## PUNCTUM VI.

Sententia Justi. *Sententia pro animâ justâ : Venite , benedicti Patris mei , possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi ; et : Euge , serve bone et fidelis... , intra in gaudium Domini tui.* *Suscipiet eam angelus custos , ac pluribus comitantibus , deducet in Cælum , nisi fuerit purganda. In illo autem primo ingressu , et quasi occursu torrentis voluptatis , quomodo afficietur ? O verò pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ! Mors autem peccatorum pessima ! Petam illam mihi : et quoniam in illo iudicio non est locus patrociniis , nunc purissimam Dei Matrem ferventer compellabo : Maria , mater gratiæ , mater misericordiæ ! tu nos ab hoste protege , et horâ mortis suscipe.*

*Matt. 25. 34.*  
*Matt. 25. 21.*  
*Ps. 115. 15.*  
*Ps. 33. 22.*

## MEDITATIO X.

## De Corpore animâ destituto.

*Hæc meditatio est imago mortis spiritualis , quâ homo passionibus suis moritur , quæ propterea mortificatio dicitur.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Corpus mortuum. *QUALE remanet corpus ? 1. Destitutum motu membrorum , et usu omnium sensuum ; nec illorum objectis afficitur. 2. Pallidum , deforme , et foetidum redditur , et mox in corruptionem vergit ; estque horrori , quod vivum delectabat. 3. Proindè solitarium*

## De corpore animâ destituto. 55

relinquitur cadaver , et quamprimùm efferri curatur.

II. Dùm vivo , mortuum imitabor in his tribus. II. Mori in vitâ.

1. In sensuum mortificatione , etiam à licitis non necessariis ; et quasi carerem sensibus , non afficiar.

2. Non considerando quod res sunt , sed quod erunt postmodùm , squalidæ et tetraæ : *Omnis enim caro fenum , et gloria ejus quasi flos agri.* Ira. 40. 6.

3. Nihil curando , quòd relinquitur , et me vitent alii , ut cadaver ; quod de se David : *Qui videbant me , foràs fugerunt à me ; oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde : factus sum tanquam vas perditum , quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuito.* Ps. 30. 12.

Hoc est , crucifixum esse mundo , ut pro mortuo me habeat , et tractet ; et mihi mundum , ut id perferam , quasi insensibilis factus ad mundi vexationem.

## PUNCTUM II.

I. Vestis , lectus , et habitatio defuncti corporis. I. Cadaver omnibus caret.

Pro veste , linteum quo involvitur : vel si quid pretiosum additur , mox sepeliendo detrahitur. Pro lecto humus : *Et subter illud sternetur tinea , et operimentum ejus erunt vermes.* Ira. 14. 11.

Pro habitatione erit fossa sep-tempedalis : ac si qua moles superstruat , quid ea confert exanimi ? Pudeat mollitiei et superfluitatis dum vivo , circa ejusmodi.

II. Imitabitur religiosus conditionem cadaveris. II. Imitetur Religiosus.

1. In studio paupertatis : ut vilissima quæque in vestibus , lecto , et habitatione præoptet ; neque moveatur , quomodocumque circa ista habeatur. 2. In



studio castitatis : ut sicut per mortem fit divortium perpetuum ab omnibus oblectamentis et curis mundi, ita ego per votum castitatis penitus iisdem moriar. 3. In studio obedientiæ : ut, instar cadaveris, me versari sinam sine contradictione.

## PUNCTUM III.

I.  
Her ad  
sepul-  
crum.

I. Elatio ad sepulcrum. 1. In feretro, alienis humeris, per plateas effertur exanimis, qui paulò antè obibat omnia alacer. Quare nunc è cubiculo, è domo egrediens, per compita incedens, memorabo diem illum, cum tantò aliter agetur mecum. 2. Effertur cum comitatu, aliis cantu, aliis fletu prosequentibus, vel honoris ergo : sed ea quid prosunt exangui? Imò damnato cedunt ad cruciatum. 3. Infertur in sepulcrum, cooperitur humo, lapide clauditur, mox à vermibus depascendus, æternùmque memorià delendus : vel si etiam honorificè celebratur, id animæ quantum confert, præsertim æternis ignibus addictæ? Unde benè quidam dicebat : *O Aristoteles! laudaris ubi non es, cruciaris ubi es.*

II.  
Docu-  
menta.

II. Ergo discam vanos honores pro nihilo habere, me ipsum parvi pendere, neminem aspernari : quando omnes futuri sumus mox per mortem æquales. Dicam autem animæ meæ : Vide, quam foveas et ornas, cui servis carni putidissimæ : quin pro ancillâ eam habeto, et servire tibi facito. Nec istum sepulturæ honorem polliceri tibi potes : cum possit contingere quod regi Joachim, qui sepulturâ asini

Jerem. 22  
19.

*Memento, homo, quia pulvis es.* 57  
*sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusale- 4 Reg. 9-35.*  
*lem. Quod et Jezabeli factum, tuque forsitan pro-*  
*meritus es ob tua peccata.*

## MEDITATIO XI.

*Super illa verba: Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

## PUNCTUM I.

CUR homo ex pulvere factus, cum potuisset ex nihilo corpus creari, sicut et anima. 1. Ad humiliandum ipsum ex intuitu originis. 2. Ut Dei benignitatem potentiamque amaret, qui ex pulvere, per inspirationem animæ, fecisset ipsum ad imaginem suam. *Quid superbis, terra et cinis, et ex donis Dei cur extolleris? Adam oblitus originis suæ, affectavit esse sicut Deus.* *Eccli. 10. 9.*

## PUNCTUM II.

Cur homo damnatus ut in pulverem redeat? 1. Ut intelligatur malitia peccati, quæ promeruit tam notabile opus in pulverem redigi : cum alioqui non fuisset interiturum, si non peccasset. 2. Ut qui ex vilitate principii, unde plasmatus est, non se continuit in humilitate, humiliaretur ex fine quem habiturus est, redactus in pulverem. 3. Ut recordatione pulveris extremi, terrenas comprimat affectiones, et commissorum agat poenitentiam ; ut suadet Propheta :

In pulve-  
rem re-  
gressus.

*Mich. 1.* <sup>10.</sup> *In domo pulveris, pulvere vos conspergite; hoc est, qui domos luteas habitatis, in suum principium resolvendas, pulvere vos conspergite, ritu poenitentium.*

## PUNCTUM III.

*Pulvis es.* CUR dicat, *memento quia pulvis es*, non autem, fueris? Nempe, quia de facto est, sicut de terrâ constans, ita ad terrena proclivis, et instabilis, ut *Ps. 1. 4.* *pulvis quem projicit ventus à facie terræ; tum in consiliis et benè cæptis; tum ob vitæ mortalis casus, et incertitudinem. Optimum esto consilium, ut quoties aliquod apparens bonum meos percellit sensus, mihi objiciam statim: Atqui hoc totum pulvis est, et ego ipse pulvis sum, postmodùm exsufflandus.*

## PUNCTUM IV.

Omnia mihi occidunt sententiam istam, ac præcipuè calvariæ et ossa defunctorum, inter quæ versans, et illud audire mihi videar: *Memor esto judicii* *Ecc. 38.* <sup>23.</sup> *mei; sic enim erit et tuum: mihi heri, et tibi hodiè. Pro hodierno haberi debet, quod vita mortali clauditur, quia brevis et incerta est.*

## MEDITATIO XII.

*De oblivione mortis, ex parabolâ divitis avari. Luc. 12.*

## PUNCTUM I.

TRIPLEX fallacia ex oblivione mortis, exemplo hujus divitis. 1. Pollicetur sibi longam vitam, cum dies illa esset postrema. Tales reprehendit Jacobus apostolus, quòd audeant dicere: *Faciam cras hoc, vel illud: Qui ignoras quid erit in crastino. Quæ enim est vita tua? Vapor est ad modicum parens. Pro eo quod dicere deberet: Si vixero, si Dominus voluerit.* 2. Quòd promittat sibi quietam honorum usuram. Unde ait: *Anima, habes multa bona reposita in multos annos; requiesce, comede, bibe, epulare; cum alioqui bona hæc auferri possint, ac si maneant, continget tibi illud: Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et* *Ecc. 5. 16.* *in curis multis, et in ærumnâ atque tristitiâ.* 3. Supina negligentia salutis animæ, bonorumque æternorum.

Mortis  
oblivio  
fallax.

Jac. 4. 14,  
15.

## PUNCTUM II.

Damna hujus oblivionis. 1. Quòd serò agnoscat errorem suum, quando remedium non subest; ut stulti illi, in libro Sapientiæ, semet propterea insensatos confitentur. Quare et huic diviti dicitur: *Stulte!* *Sap. 5. 4.* 2. Quòd noctu abripiantur è vitâ: *Hæc nocte, sci-*

Mala ex  
oblivione.

Sap. 5. 4.

licet in ipsis tenebris peccati ; ut ab interioribus transeant ad exteriores et æternas. Averte à me, Domine  
*Isaïæ. 38.* Dico tibi prius : *Dispone domui tuæ , quia morieris tu ;* da tempus pœnitentiæ. Etsi illud optimum , ut quotidie id mihi intimari putem , et ita semper sim paratus. 3. Quod ægrè et inviti moriuntur ; quare dicit : *Animam tuam repetent à te ;* mali scilicet dæmones. Justis autem in desiderio est : *Educ de custodiâ animam meam , ad confitendum nomini tuo.*

## PUNCTUM III.

*Luc. 12.* Quæ autem parasti , cujus erunt ? Hoc postremum oblivionis damnum , quod quasi semper victuri non prospiciunt in posterum. Tua certè non erunt , quia  
*Ps. 48. 18.* diviti dicitur : *Cum interierit , non sumet omnia , neque descendet cum eo gloria ejus.* Non sic justis , non sic , quorum opes sunt opera bona , quæ sequuntur ipsos.  
*Matt. 16.* Interrogato etiam te : Et hæc anima cujus erit ? *Quam dabit impius commutationem pro animâ suâ* , quominus  
*Ps. 118.* in potestatem diaboli veniat ? Dicam Deo : *Tuus sum ego ; salvum me fac.*

## PUNCTUM IV.

*Evem. plur.* Obliviosi conditio repræsentatur in Balthasare rege Babylonis , cui operam danti comessionibus visa  
*Dari. 5.* est manus scribens in pariete : *Mane , Thecel , Phares.* Numeravit Deus regnum tuum , et complevit illud. *Appensus es in staterâ , et inventus es minus habens. Divisum est regnum tuum , et datum est Medis et Persis :*  
 ita

ita Daniele interpretante. Et eadem nocte id totum subsecutum est ; et quadrat in illum divitem ac similes. *Mane , numeravit :* stulte ! hæc nocte repetent animam tuam à te. *Thecel , appensus es :* utiquè minus habens inventus es , qui idcirco vocaris stultus. *Phares , divisum est :* et hæc , quæ parasti cujus erunt ? Auferentur videlicet à te , et dabuntur ei quem ignoras.

## DE JUDICIO UNIVERSALI.

## MEDITATIO XIII.

## De signis præcedentibus judicium.

## PUNCTUM PRIMUM.

CAUSÆ universalis judicii. 1. Ut sententia lata in CAUSÆ ju-  
dicii. particulari judicio , ejusque æquitas , innotescat toti mundo ; atque ut suppleatur quod defuit. Nam de corpore ibi nihil fuit decretum : et contingit damnati hominis corpus in honore esse ; beati autem ignominiosè haberi. Debet autem participare gloriæ aut pœnæ , prout in hac vita servivit justitiæ , aut iniquitati. 2. Ut justis honor coram omnibus habeatur , qui in hæc vitâ fuerunt contemptui : ac imprimis , ut justificetur Deus in judiciis suis qui justos premi nunc , malos autem exaltari permisit ; quod sapientissimè fuisse dispositum dies illa manifestabit. Propterea , *nolite ante tempus judicare.* 3. Ut mali et impii videant  
*1 Cor. 4. 5.*